

Oginskij.

1829. XI.

ORNAMENTVM  
DIVINÆ CRVCIS,  
ROSA GEDROYCIANA.

In Tumulo Sacrorum Cinerum,  
**B. MICHAELIS**  
**GEDROYC**  
E Sangvine Ducum in Lithuania  
*NATI.*

Cracoviæ, in Religione Ordinis S. Augustini

*Confessorum Beatorum Martyrum de Pœnitentia,*

*MORTVI,*

Vitæ Sanctimonia & miraculorū gloriā

*CELEBERRIMI,*

Ipsò, annuæ Commemorationis Eius, secundō, post  
Inventionem Divinissimæ CRVCIS, Die.

In Eccl: S. Marci, PP. Reg: Obseru: S. Augustini,

*INVENTVM.*

*Frequentissimæ, Illustrium Hospitum, Corona:*

*A*  
SAMVELE IOSEPHO BVTKIEWICZ, WISWOYN.  
In Alma Vniversitate Crac: Ph: Bac: S. Theologiae, Auditore,

*DEMONSTRATVM.*

*Lucique Publicæ*

*PORRECTVM.*

*Anno Nazareni Floris, 1682. Die 4. Mai.*

CRACOVIAE, Ex Officina SCHEDELIANA, S. R. M. Typogr.

188.



In Gentilitium insigne  
JLLVSTRISSIMÆ DOMVS  
OGINSCIANÆ.



Porta Triumphalis, pandit sua Numina latè  
Sangvinis. & veterum confluit Ordo Patrum:  
Nobile magnorum circumstrepit agmen Honorum  
Altaq; fortunæ turba stat ante fores.  
Tu tamen & trabeis, alios præcedis, & ostrô;  
Multus inest oculis, multus & ore Deus.



96477

JLLV-

221



JLLVSTRISSIMO & MAGNIFICO DOMINO,

# D. MARTIANO

DE KOZIELSKO

# O G I N S K I

## PALATINO TROCENSI,

Radoszkiewicēsi, Msciboviēsi, Dorsuniensi, &c. &c.

## C A P I T A N E O,

Domino & Patrono suo Amplissimo.



On ideo cum ornamento, ad Tuam venio PORTAM  
ut, basilice trophaorum apparatu Illustrem, Maiorūq; Ceris splendidam; exornem: Sed ut, iutissimam stationem, in Hoc Gentilitio Augustali Tuo, inueniam. Illustrissime, ac Magnifice Domine. Et quidni ornamentorum satis, intra & circa PORTAM OGINSIANAM sit? Quā, tot adorē, illustrissimae Familiae, clauduntur. Duces cum armatorum ceteruis volitantes, dum numero, Paludatos Vitellios, Senatum ante se agentes, triumphalesq; Ataos, cū circumspicio; res cruentas feliciter gestas, parmasq; nomina gentium præferentes, cū admiror; captiuorum & catenatorum hostium, geritus cū audio: tanquam magnarum rerum farragine, totus certatim, in stuporem rapior. Ex Tua namq; PORTA ingentes Heroum Umbrae, & specioso funere sepulti Maiorum immortales Vultus, non velo Timantis nihil contegente; sed Ducali purpurā, Kozielsciensiū, Kiiovienium, Czerniechoviensium, Pereiaslavienium, Principū;

emicant inuoluti. illa (inquam) Nomina an Numinæ? Theodatus  
OGINSKI Succamerarius Trocensis, cataphractæ militiae Ductor,  
Avus Tuus: ALEXANDER, vel ipso Macedone, Maior, Castellanus  
Trocensis; IOANNES, Mareschalcus Bracławiensis: ceteriqz, mul-  
ti, quorum Purpuram Ducalem, non bino; sed milleno cæsorum hostium,  
murice tinctam non reuoluam: ad triumphales Atauorum, accedere,  
curruum Leones Elephantesqz, non ausim; ad quorum frena Moscho-  
rum toties, deuicti deuinctiqz, repere dracones. Licet hic; tot reliquos  
è trabeatis Cineribus, rediuiuos excitare Phœnices: nempe Consanguineas  
RADIVILLORVM, POŁVBINSCIORVMqz; Aquilas, ZAWISZY-  
NÆ & SZEMIOTIANÆ Familia Olores. Licet ex Tua ducere PORTA,  
atratu mortis Syrmate inuolutos, KORECCIOS, KORYBUTHOS,  
SANGVSCIOS, Duces: CHODKIEWICIOS, CHLEBOWICIOS, Fama Mira-  
cula: SAPIEHANÆ, PACIANÆ, KRYSZPINIANÆ Domus; digna, immorta-  
libus cedris, Nomina: NARVSZEWICIOS, BRZOSTOWIOS, CHREPTOWICI-  
OS, TYSZKIEWICIOS; POCIEIOS, BIELEWICIOS, SIEMASZC1OS; Quorum  
omnium, cælerorumqz, multorum immortalitatem audiens extremus  
Orbis; non è Cadmæa fabula in usuram lucis huius; productam, testa-  
tur. Hac autem ornamenta à Maiorum Ceris desumpta, licet ingeni-  
tis glorie sint, Tu tamen vertice toto suprà eminens; bellò Togâqz, rerū  
gestarum, & consiliorum, jngens Syllabus, MARTIANE OGIN-  
SKI, occurris mibi ex Hac PORTA. Non vane gloria auram ca-  
pro: sumus etenim nos etiam, pars magna illorum; qui audiuimus quām heroicè,  
formidando, malleis Bellona Ottomanica, Steropi, Polonum Lithuanumqz, Orbem  
arietanti, Tu, veluti Sapientia Augustal, Pectus Tuum eruditum (quod non vulga-  
ria Numinæ insederunt) obiecisti. Alexandria conditæ portæ, Dei Serapidis, operâ, in  
Cælum surgunt. OGINSIANA PORTA, tot heroicis, Maiorum factis, Cælo proxi-  
ma; per Te, iam ipfis sideribus, augustissimè immiscetur. In hac itaqz, tot Ancilijs, in-  
domita PORTA Tua; cùm reclinatorum, ORNAMENTO DIVINÆ CRVCIS, RO-  
SÆ GEDROYCIANÆ, inuenio: humiliter rogo, ut in sinum Gratia Tuæ Rosam  
Beatam accipiens: me quoqz ad Tuam PORTAM, commorantem, non arceas,  
qui sum.

## ILLVSTRISSIMÆ & MAGNIFICÆ Dominationis Tuæ.

Cliens deditissimus,

JOSEPHVS SAMVEL BVTKIEWICZ WISWOFN.  
In Alma Vniversitate Crac: Phil: Bac:  
& S. Theo: Auditor.



# ORATIO.



Rnamentum Diuinæ Crucis, Rosam GEDROYCIANAM, ad cineres sepulchri, fatorumq; tabernacula; non læsæ integratatis inuenire: falcata mortis arbitria excede-re est. A. N. inter graueolentes cupressi plan-

tas, rosam vernare; obsoleto mortis Decembri, Maium floribus naturæ ludentem, accidisse; in Polydori myrteto, & nisi fatalem taxum, oleni, florentis rosæ fragrantiam odore; planè miraculum sæculis inauditum. quoniam nemini mortalium vnquam, prædatrix Lybitina, formosissimæ pulchritudinis auferendo; restituit spolium, atq; iterum pulchrō naturæ fucō erubescere concessit. Intendebat ver-nare Pompeius apud æternitatem, à suis plantis; quarum attactu, rosea vestigia de semita emergebant: hodiè de tan-ta feracitate, de tanta florum vindemia; vix folium vanissimæ fabulæ colligimus: ubi demùm est, gloria roscarum ia-stantia? emarcuit, & quasi breue decus; dissipata, in vanæ gloriæ auras euanuit. Heliogabalus. Cæsarum impurissi-mus, ideò roscarum perpluia, in recumbentes ad mensam, sæpiissimè effundebat; ut mortalitas eius, haustò imbre roseo, immortaliter floreret: nunc de tam insolenti Floræ luxu, in eius, cinerum fauilla, nec saltim *vaccinia nigra* leguntur. Certamine & opibus Regum, in marmore palmarum tri-umphalium, incisæ notæ; instar montium eductæ Pyrami-des, & Mausolea; exoticò Diuini Alcimedontis opere, lau-rearum syluæ in saxis adumbratæ, & multiplici striarum ductu, mirò artificiò, tanquam rediviuæ lapidibus inscul-

Stemma,  
Gedroyci-  
ana Fami-  
lia, Rosa  
alba.

ptæ; iam pridem virere desierunt: nimis rūm frustra terra-  
rum Principes, in suum perenne decus, omnes mouerunt  
lapides; cùm passim eò, vnde assurrexerant, fatorum iniu-  
riā, sint devoluti. Exemptus est, è communi mortis tribu-  
to **GEDROYCIANVS** Tumulus, qui non mortali exci-  
sus manu, & à B. Suentoslao, inventus, non cineres; sed  
Augustissimam condit Rosam: quippe, si quis piorum Ma-  
nibus locus, si, vt Sapientibus placet, non cum corpore  
extinguuntur Sanctæ Animæ, sicut imaginum non colora-  
tur; quæ marmore aut ære finguntur: Sed vt vultus homi-  
num, ita simulacra vultuum, imbecilla, ac mortalia sunt:  
forma mentis beata, quæ teneri & exprimi, per alienam ma-  
teriam, & figurarum discrepantium artem non potest, sola  
innocentiā vitæ adumbratur. Accedo itaq; ad hunc Tumu-  
lum, in quo Rosa tumulatur; desiderans, Vitæ & Mortis  
**GEDROYCIANÆ** memoriam, suauiter olentem, eruere:  
quid mortem memoro? viuit ille, & nequaquam mortuus  
est qui ultimo morienti; Cordi (inquam) suo, Crucis Diui-  
næ infixam gerebat Arborem, verè vitalem: viuit, nec me-  
tuit emortuales cupresi calores, requiescens sub umbra il-  
lius rami, in quo, Flos de Nazareno horto, pependit: In-  
super, vernæ amænitati gloriam præripiens, intra conuic-  
neratæ Crucis foramina, pulchriùs pubescentibus pratis,  
redivivum Ornamentū, hucusq; viret augustè. Divinissimæ  
Crucis inventionem hesterna die celebrauimus; hodiè in-  
staurates Floralia, Ornamentum Crucis quæramus. Inve-  
niām ego in Augusto Tumulo, Sacrisq; Cineribus, B. M I-  
**CHÆLIS**, & ostendam, Ornamentum Divinæ Crucis,  
Rosam **GEDROYCIANAM**. Vos modò, obaudite me  
Divini Fructus! & quasi rosa plantata super rivos aquarū,  
fructificate! quasi Libanus, odorem suavitatis habete! ô  
Rosa Amoris Sacrificium, delicata cuspidē mucronis pun-  
cta, & charitate vulnerata, meam facundiam Troianorum  
pabulō non pastam, immigrat aculeos spinarum lectissi-  
mos, in membratim currentem suadæ meæ, Mineruam ex-  
pedi

pedi ! Ego plenis manibus, Tibi lilia dabo ; toto me , rosas  
clamabo. Interea Devotissimi Auditores, mihi Rosam in-  
venienti , fauete linguis, & placidissimis fauonijs adspirate.

Aridus ille, funestusq; inscriptus Nomina Regum Tru-  
cus; iam tandem feliciter ineunte Maio, qui mensis florum  
est, vernat, ac floret, Diviniore Reginâ veris Rosâ. A A.  
Non defuerunt quidem hucusq;, Magni Regis Arbori, or-  
namenta sua; cuius foliorum candidè rubicundam frequê-  
tiam, & purpureis veluti radijs emicantem, iam olim San-  
ctissimi clavi, an clauæ distinxere. Medullam eius pretio-  
sus Sanguis, ceu opobalsami Cælestis latex, copiosè influ-  
ere non cessat. Folijs, quæ, Divinissimam Sacri Capitis  
Cæsariem, velabant; stupendæ illæ, crebræq; Cælestium  
arcanorum reuelationes, inuolvuntur. Candet egregiè Ar-  
bor Regia, & ne delicatissimo candori, roseus quoq; co-  
lor deesset; vermiculatâ foliorum rubescit purpurâ, illâ,  
quam mille venis, innocentissimus Virginum exsudauit  
Flos. proceritate sua ipsis sideribus porrecta, cuiusvis Liba-  
ni, & vel ip̄si Cælo proximas, despicit lauros : fragrantia,  
Dodonæas Sylvas, vel Arabum, cinnamis beata nemora;  
longè superat: lancearum fulgetrō, plusquam mille accen-  
sis lampadibus splendet: Spinæ lucem digerentes, demiran-  
tium palpebris, intendunt splendorem. reliqua innumerabiliæ,  
Solij cruenti, Regis nostri, ornamenta, non adumbro  
illud desiderans; vt Tu fixe clauibus Deus, Tu Lilium inter  
spinæ, admittere velis, in decus qualecunq; Crucis Tuæ  
( Qui non despicias & humiliores violas ) humiliter serpen-  
tem Rosam meam: adiuncta quippe lilio, erit formosior &  
rosa. Quodsi Amor es, inter Spinæ, in Cruce mortuus; ap-  
positè tumulaberis in rosa: vbi etenim iucundiūs, quàm inter,  
Tui Augustissimi Capitis, spineta, habitaret? aut quo pul-  
chriùs colore, quàm saluberrimo Tuo Cruore, tingeretur?  
Si Rubicundus es, admisce Rosam Candidam; adamaberis  
Sponsus candidè Rubicundus: si Candidus, adde puriorem  
ceruissam Flori GEDR O YCIANO: & sic pulcherrimi

candoris Arbor Tua; perpetuum triumphi celebrabit M-  
ium. Et profectò expedit, Te in Crucis Ara languentem,  
copiosâ rosarum stipare vindemiâ: quidquid autem coro-  
nariarum rosarum habuit, aut habiturus est mundus, id  
omne, GEDROYCIANÆ Vitæ Sanctimonia est. Verùm  
enimuero, quæ nam colonia hanc speciosæ venustatis Ro-  
sam effuderit; occurrit iam explananda. Terrenæ fæturæ  
flos iste non est, in cuius pulchritudinem, integrum se ia-  
ctans natura; etiam paludamentum illius, decore purissi-  
mi muricis lacte misti, suauiter cruentavit: & ideò velim,  
ipsam Cæli viam lacteam, ceu continuatum, in varias, flo-  
rum species, hortum; in totidem veluti areolas, multipli-  
cis pulchritudinis partitione distributum, peragrare: tin-  
ctam quippe non terreno rubore Rosam, Sanctioris Pæsti,  
inuidiosè rosariô claudi; aduertit ille facile, qui, profapiam  
rosarum, Cælō defluxisse, intellexit. Blando Cælorum Nu-  
mini, Amori nempe, hæc erubescens naturæ voluptas,  
rosa tribuitur. nam luxuriantibus Dijs; Deum Amorem-,  
puerili insolentia tripudiantem, purpureum effudisse ne-  
tar, rosæq; colorem rubicundum dedisse, ferax fabular um  
Poësis decantauit: nec abludit à veritate nimium, imò re-  
ctè, à Numinе Amoris, originem rosarum ducit; quæ  
spinam sagittæ loco habent, colorem rutilum, pro facibus  
igne Cyprio lucentibus, egerunt, odore trahunt, folijs tan-  
quam alis, intuentium oculis inuolant gratiose. At non  
hæc Paphiæ patria Rosæ nostræ debetur: absurdum Deo-  
rum Dearumq; volutabrum, Floris nostri purissimi, incu-  
nabula non sunt: fictitium lascivii Numinis cælum; dicam  
verius cænum; beatè formosam, nequaquam produxisse  
potuit Rosam, quid enim molli Campaniæ? quid Veneris  
plantæ debet, augustissimô tecta galerô, Nostra Rosa? quid  
fabularum senticetis, quorum semina effusi poculi ab im-  
purissimo Deo, sanies vaporauit? potius profligati podo-  
ris, illa inter pomaria, infamis Priapi; leguntur turpes ro-  
sæ; Nostram verò Rosam alij sinus, beatioris Syluæ; in lu-  
cis hu-

cis huius apricum exhibuere : rosea namq; illa, vernantis  
virtutis jndoles, floridum debuit habuisse Patriæ solum.  
Felices saltus ! beatæ Syluæ ! quæ tanti delicij florem pro-  
duxistis, augustè perquam surgitis liliorum maiestate ; quæ  
in rosarum conuallem, floridè detumescitis. Vos hic intel-  
lico profundiora Lithuaniæ Magnæ, nemora ; quæ olim in-  
ter vos natam Rosam, feliciter habuistis : nequaquam enim  
sterilis es, nequaquam florente lilijs Galliâ posterior es & Tu  
Lithuania ; in cuius cōmendationem, iam pridem jnnocēs  
**Casimirus**, tot Liliatos centuriauit Equites, quot Sanctissi-  
mos manipulatim licet, de Jagielonis stirpe legere Princi-  
pes. Quodsi Florentia, Florentinas Cordis MARIÆ Rosas  
parturiat, floribus & malis stipatum Philippi Nerei tumulet  
**Amorem** : Seraphico Magdalenaæ de Pazis Cordi, tanquam  
renascenti pulchriùs Phœnici, digna florum sternat incuna-  
bula ; eò magis conueniens est, quò, vel propriùs ardens A-  
moris in nomine Roma, cōcessit illis Sanctis caloris; influē-  
tias; vel florens Fidei Sanctæ perpetuo vere Campania, hos  
dedit Cælo fructus. At in perpetuis brumæ rigoribus, de-  
licata rosarum pullulare germina, pruinâ ali, inclementijs  
**Cæli** augeri, Aquilonis turbine foveri; plusquam miraculū  
est. Illa Colonia, quæ olim superstitionis spinâ horrebat,  
quemuis obuium truncum, ad Latræ cultum deputando,  
& quibusvis arboribus Divinitatem implantando; non Ci-  
licum messes, Arabumvē supersticiosos odores; sed placi-  
dissimæ fragrantia, Principes in **GEDROYCIO**, veri Dei  
altaribus, gignit Rosas : ergo, vel ideò florida Lithuania;  
quia Patria **GEDROYCII** est. Verùm priusquam apicis  
rosei venustatem explicuero ; radici instrata audite enco-  
mia. Nempe latitantium in cortice foliorum gratiofa rosæ  
ambitio, pupillatô corymbô non dum in orbem fusô; quò  
teneriùs alborem suum ostentabat, eò largius apparituræ  
mox pompæ præludebat: formositate atq; fragrantia, ori-  
ginem naturâ celsiorem indicans, non oculos modò, olfa-  
ctumq; percussit; verùm & animos spectantium, mirifico

B

pieta-

B. Gedroy  
cius nasci  
tur in M.  
D. L.

10

pietatis odore inhalauit. Sunt rosæ, quæ è Spinis dumeti in-  
felicis crescendo; fallacem labellorum ostentant vanitatem:  
Hæc ingenuo confusa candore, innocenter sese fastigians;  
amabilem puritati verticem attollebat. Certauit cum flo-  
rida terrenarum formositate rosarum, & vicit: non tam e-  
nī mundè rosæ mundanæ, è foliorum sinu luteos expedi-  
endo apices, formæ præstantiam coronant; quam hæc, de-  
center rubescens, niueæ innocentiae, expandit alabastros.  
Rapuerat quidem GEDROYCIVS in Gentilitio Stemma-  
te suo, à Maioribus porrectam Rosam; quā solā florere non  
satis ratus; in rosas totus adhuc infans, festinabat ò con-  
iuratam in Te rosarum pulchritudinem, Divine Puer! to-  
tus roseus, imò rediuiua Rosa es: cùm in Tuæ puritatis An-  
gelicos vultus, oculorum meorum expedio obtutus; nun-  
quam satis mirari possum, in oculis lymphâ purioribus, ca-  
sti pudoris, euigilantem custodiam! amabile labellorum  
Tuorum considerans ambitum, totis præcordijs in Tuos la-  
xor Amores! vidisses enim deuotissime Auditor, delicati-  
simi sensus verecundiam, subito rubore confusam, vulnera-  
ri: legisses singularis modestiæ, in fronte omnes Virtutes.

Infirmita-  
tibus cor-  
ripitur.

At quia, præsertim quæ in ornamentum Crucis, voluptas  
crescebat, sine tubere esse non potuit; naturæ malis flos te-  
nerrimus, affligebatur adeò, ut plantæ officiô destitutus, ca-  
dere cogeretur. benè est, Auditores: liuentis morbi crucia-  
tibus, in Martyrem Beatorum Patrum, deligitur: iamq; Gi-  
gante quoquis velocior Divinus Adolescens, integra Spiriti-  
tûs alacritate, licet carne non valens, Bistriciam ( quæ ciui-  
tas Lithuaniae est ) exultans festinauit: vtq; candidorem  
insumeret nitorem, Pænitentium Patrum lacrymis, immi-

sceri desiderauit: vt cruentam perempti Dei-Hominis Cru-  
cem ornaret; candidis pupillarum effluvijs, stolam voluit  
lauare: nempe vt rosa pullulet augustiùs rore gaudet per-  
fundì. Beati verò Patres, nequaquam fructib; Rosam vacuā,  
floribusq; aridam putantes: Christi Vineæ implatauerūt per  
Sacri Ordinis Generalem Augustinum. Bueū tamen, vt sua-  
viùs

Religionē  
PP. Ordini-  
nis S. Au-  
gustini in-  
reditur.

Breui Po-  
loniā petit

77

iūs oleret, voluit transplantari Rosa Nostra: nimis  
GEDROYCIVS Patrium Lithuaniae relinquens solum;  
ad aliam Sanctiorem Bistriciā properauit Vrbem. Hic pa-  
rumper subsistens, adoro Te, Serenissima tot Sanctorum  
Vrbs Cracovia; & vel maximē, quia Te GEDROYCIVS  
intrat: Tu Vrbium Florentissima, STANISLAI Præfulis &  
Martyris, myrtetō fragrans; CANTII Patriarchæ Nostri,  
splendoribus clara; HYACINTHI vnguentis, CASIMIRITANI vio-  
lis, suavissime olens; SIMONIS de Lipnica igne Seraphico  
spirans; GEDROYCIANA insuper Rosā, perpetuum inno-  
vas Maium; & in ipsa vetustate, felicissimē reflorescis: cùm  
in Te Rosa Nostra paulatim hians, totam se in calatum fu-  
dit; intuentiumq; oculos defixit admiratione. Et profecto,  
si Sanctitas illius, olim toti Poloniae fragrans, sublata grandi  
voce loqui posset, quid hymnorum, quid Cælestis carminis  
hodiè non cantaret? quid cinnami non spiraret? iactet Mā-  
tua centum folijs, veluti quādam roseā Hecatombe, floridas  
rosas, colore ardentes, varietate mirabili ac plenā gloriā, to-  
tis iam folijs candidas, iam totis rubras, strijs purpureis illu-  
sas, & iocō variō rubeas: iactet tota rosarum familia Persi-  
cas, multiplici foliorum texturā, oculis hilares, naribus fra-  
grantes, manibus teneras: Flos GEDROYCIANVS, om-  
nis perfectionis & pulchritudinis vertice, supra est. Supe-  
rat GEDROYCI vita posteriorum fidem; nec mirum:  
quomodo enim credidisse illius ædicolam, in qua animū  
Cœlo destinabat, adeò humilem, adeò non amplam fuisse;  
vt vix vnum caperet resupinum. Cleopatræ rosæ, ac flores,  
vimentō totō ad cubitum alti, & inductis retibus conteſti;  
etiam nunc retinent, quibus indormiebat, famam. Lectu-  
lus Principis Lithuaniae, GEDROYCI, non artifi-  
cum manu superbè efformatum ebor, non rosea strata; sed  
terra sub ingredientium aspectu patens, in qua, licet ri-  
gido stramine cooperta; roseum tamen capiebat somnum.  
Parietum ornamenta: virga pendula, & supplicationes pre-  
catoriæ. his opibus, Vir Dei contentus cùm esset, influen-

Vita eius  
Cracoviæ.

125  
tis dona Fortunæ abnuens; ipsa indigentia auidum pauperis  
tatis animum ditare intendebat. Ille, cui Lucina concesse-  
rat è Ducum Sanguine nasci, negauit Ducali Fasciâ suum  
illigari verticem mille Coronis dignum; damnans ad ter-  
ræ squallores, tumidam adamante superbo Ducum Cidarim:  
claustrî muneribus contentus, nihilq; de officio remittens;  
semper, vilia & abiecta negotia exercere visus: quod supe-  
rerat temporis, in templo, roseam de varijs Orationum  
floribus, Coronam cumulabat. Ad mensam, Sacer aduer-  
tebatur Tantalus, nihil præter inediam in satietatem orexis  
captans: carnium esu, ab eo tempore, quo Beatorum Patrū  
vitam amplexus est, verè in terris Beatus, semper abstinu-  
it. Sileo h̄c, nec adumbro incontaminati animi longissi-  
mè abhorrentem, à mortiferi criminis macula, nitorem:  
nam quid cum fæditate rosæ conveniat? Vigilias Tuas, &  
insomnes noctes non meminerim: illud nescio, elequar  
an fileam? cum mortis sopore dormiens, ac tacens in Cru-  
ce Deus, quouis Hymettô dulciora verba, quavis Hyblâ  
suaviores Rosas; Tibi loqueretur: Esto patiens usque  
ad mortem, & habebis Coronam Vitæ. Subsistit  
hic admiratione defixa, subsiste præcepis in Epilogum Ora-  
tio, & quomodo cunctq; ob ingentem affectus excessum  
licebit; expone, quām Divini G E D R O Y C I V M illo  
tempore, inuolauere Amores! quām magnâ violentiâ ex-  
tra se rapti spiritus, in Paradisum migrabant voluptatis!  
quām auidō desideriō anima M I C H A E L I S languens; illi  
inhiciabat, etiam per Spinarum patientias Arbori, in qua Co-  
rona Vitæ pependit! sic nempe natura tenues in rosis spi-  
nas, velut amatorios quosdam stimulos, ad florem produ-  
xit; ad maius desiderium, per ferientes aculeos, & tactum

Verberib⁹ ægrè admittentes; irritans decerpentem. Hucusque Rosa  
lantat se. Nostra candida iam rubescit, totaq; liberali flagellorum la-  
nienâ, coloratur in pūpuream: quanquam non oportuera:  
Sanguinolentis flagellis colorare illam; quæ Divinissimas

inter

inter Spinæ paulò ante formosissimè rubescet. Audi via mortalitas, ad uerte victura posteritas: quoties Hæc Rosa sanguine irrubuit, vltro verberum laniata rubò! quoties illibatus, Angelici candoris flos, murice castissimo exonerabat venas! quoties suauissimum illud Beatorum deliciū, illa areolarū pulchritudo, Dei & Angelorum voluptas, Fratrum Amor; se totum perfudit cruore, cædibusq; cruentavit! quoties crebro vulnere totum corpus aperiebat, & frustratim Sanguine casto, contextum puritatis tabernaculum, depluebat! bene est, abiit rosa in spinas; vt securius pudorem suum à manibus violantium, tueretur. debemus carni nostræ spinas deputare, & illam absque salutari quædam tyrannide, amare non debemus. præterea delicatissimæ innocentiaæ odor, spinis armatur, spinis iungitur: nunc quidem in viridi arduæ spei alabastro, latent conclusæ rosæ; olim se pandent, ybi spinas mortalis ergastuli exuerint: asperitas corpori nunc horrida, amabiles olim rosas partieret: & ideo, quot spinas carni suæ GEDROYCIVS infixit, tot rosas implantauit; quoties flagellum sanguine rubens, toties rosam habuit. Rapuerat hæc florum inuidia, infernalis dumeti plantatorem: & qui in Protoplastorum horto pomum abstulerat quondam, GEDROYCIANIS etiam inhiauit rosis; vt pleno voluptatis flori, mortis æternæ insigeret aculeum. ille (inquam) vorax draco, horrendum deformis rictus, expedierat hiatum, in GEDROYCIVM, jmmaculatissimi Agni, qui rosis pascitur, escam; volens fascinô veneni sui infatuatum in pabulum sibi destinare. Verumtamen, abscede detestabilis serpens, siquidē in hac felicissima rosarum herba, in qua Flos Virginum commorabitur innocenter; nequaquam latebis, quodsi arcana voluntas Dei permiserit; vt Rosam Nostram affligeres: contrita suauius fragrabit, & tuo inclinata turbine, augustius resurget. Hac spe stetit GEDROYCIVS Noster, tanquam colossus à rosis dictus Rhodius, ad illa afflictionum, veluti aquarum rapidè irruentium volumina,

A demoni  
bus affligi-  
gitur.

immotus; pede fixo in Lilieto æternitatis, procellasq; Ete-  
bi despectans; in rubo se lacerante, rosam aliam non quæ-  
suius præter D E V M. Non vanè speras G E D R O Y C I: Te-  
cum est ille in rubo, in tribulatione Tecum: eripiet Te,

*Lethali febri cor. ripitur.* glorificabit Te. Et eripuit sanè tunc, cùm inclinari visa fuit  
Rosa Nostra; cùm ille virtutum vernantium senex, extati-  
cis exercitijs macilent, viribus exhaustis pallens, vigilijs &  
laborib; confectus languescens; ille Beatus Flos, frigida ma-  
nu fatorum, ad sterile sepulchretū posceretur; cùm febriculæ  
frigoribus calor vitalis extingueretur. Et quamvis, copio-  
sæ nimis, ad vnius floris casum, falces succreuere fatorū,  
magnâ illâ dolorum spinâ, Rosam Nostram crudeliter val-  
lante, quoniam vulnerante: erexit tamen ex morborum e-  
tiam senticetis mentem, illaq; Paradisi semper amæna vire-  
ta, magnô animi desideriō, involabat. Nullatenus enim  
potuit frigidè in cineres resolui, cuius palpitantibus agone  
venis, Divini Amoris Vesuvius, sua infuderat æstuaria: vn-  
de Spiritus ille, omnibus Famæ linguis prædicandus, in has  
voces extremè suavissimas effundebatur: D E V S Cha-

*Verba mo- rientis.* ritas est, & qui manet in Charitate, in D E O  
manet, & D E V S in eo. Sicut rosa per frigus clau-  
sa, solis deinde ardore tacta, vehementiū aperitur, & folijs  
expansis, in rubore demonstrat ardorem iucundum: sic iste  
Flos Cælo gratissimus, qui, emortuali hucusque in argilla  
frigescens, claudebatur; tandem radijs ardantis Divini A-  
moris adeò incaluit; vt coactus fuerit Cæli Charites, an-  
Charitates inuocare. Tum deniq; festinatæ mottis grande  
solatiū excipiens; nec non pœnitentiales oculorū miscens  
lacrymas, satis absque nævo candidam, adhuc mundans  
*Moritur.* Animam, genu quoque flexo orans: cecidit Flos Noster, ceu  
quondam procellis, exanimis cecidere Nardi. jnterea

*Nec dolor ullus erat, mortem dabat ipsa voluptas.*  
Iamq; expirantis Rosæ animam adumbrare polixiū cùm  
non

non liceat; MICHAELI Cælum, Cælo Michaëlem, gratulor: cui in Beatis Elisij existenti, iam non vanæ, aut mortalis gloriæ aura afflatur, dum frequentissimô Cælestis obsequij satellitiö, circumstipatum GEDROYCIVM, Flos Nazarenus inuitauit. Anni eius, horæ, & huius mortalis vitæ, dies, expectauerunt feliciter omnes, cum suis rosarum cumulis: & rosea quadam metamorphosi, in rosas abeundo; capiti eius, immarcescibili coronâ digno, certatim se se iniecerunt. Hic itaq; veneror Te CRVX Divinissima, in cuius perenne ornementum, pro cunctis humi repentibus violis, pro suaveolentibus hyacinthis, pro omnigenis grati coloris, ac viuentibus flosculis, quos vlla vspia sylua, pratum, saltus, arbor, nemus, campus, hoc amæno vere protulerit, vel vnquam proferet, Principē GEDROYCIANÆ Familiæ; Cælestem Sanctimoniacæ, offero Rosam: Dum verò Rosa in ornementum Crvcis decerpitur, Vos augustæ Familiæ Patres Religiosissimi, in Ordine Augustissimo agite Floralia: & si aliqua clandestina rapacitas vestris inhauerit Rosis, attollite magni Trophæi, in quo vincatis, signum: spes non sterilis, quod temporum inclematiæ pressi, & vndiq; circumputati; sicut vinea falcibus attrita, copiosius fructificabitis. Tu autem posteritas, ne crede in hoc loco odorem suavitatis exolevisse, in quo Cælestis fauor & inclinatio, etiam nunc per GEDROYCIVM ostenditur; vbi tot Omnipotentis DEI virtutis magnalia, in insuetis auditæ sunt prodigijs. Audi miratrix fama senioris æui: parietes isti, & saxa, disertô silentiô, miracula sonant, rosas loquuntur: natura quippe toties cessit legibus suis, aquâ extinctis iterum lucis usuram, claudis gressum, restituens: languescentes & morti proximos, vivâ donans. Donum Propheticum, quod Divinam Nemesisim spirabat, nonne sensit cœnobium hoc? quod tria (quæ futura B. GEDROYCIVS adhuc viuens prædixerat) incendia tulit. Quæ cùm ita sint; Coronidem Orationi nææ impono, & supplex, Te iam in perpetua rosarum invisibi.

Miracula  
post Mor-  
tem.

v̄sibilium voluptate tripudiantem, oro; vt tot repetitis cæ-  
dibus rubenti Poloniæ, tot, præsertim in Podolia, destitu-  
tis verò Numine templis, tot funereis Lybitinæ ta-  
xis, quos Ottomana Bellona plantauit; inum-  
bratæ Sarmatiæ, velis implantare, Tuam,  
Divinæ C R V C I S Ornamen-  
tum, Rosam.

D I X I.



L-17  
2-28